

esse Verum de illius stabilitate, eiusque ad faciliorem populorum conversionem utilitate sponsor nolim esse. Iubemur, obtemperamus, hoc nobis sufficiat, imo plus quam iubemur, praestamus pro nostro more. Praeterquam quod enim duo supra appellati Missionarii domos publice Pareorum ingrediantur etc., statutum est idem etiam praestandum ab aliis, qui Xutris solis destinati sunt, quando Parei aegrotarent graviter et abesset Missionarius Pareorum. Quod tamen praestabunt quando aliter fieri non possit absque aegrotantis incommodo, idque secreto, si fieri possit, publice autem, si aliter fieri non possit: tandem si aliquoties sacramenta administranda essent Pareis ad Ecclesiam Christianorum accedentibus, iussum est, ut iuxta Sanctuarium brevis aliqua Capella construat, ubi supradicti Parei recipiant sacramenta vel in Xutorum Ecclesia, idque factum inhaerendo vestigiis Cardinalis Turnonii, ut supra dictum est.

Talia autem nec tanta praescribit nova constitutio. Haec de Missionem Tamulica sola intelligenda.

3° Nunc sermo sit de regione dicta Telougou. Vix ad illam spectant nova de Pareis mandata; ratio est, quia Parei vel etiam Gentiles rari sunt in dicta regione, in una Ecclesia duo, in alia quatuor, in alia viginti, in plerisque ne unus quidem idque in plerisque locis absque spe novos ad fidem convertendi. Vanum igitur imo malum foret, eiusmodi paucissimis hominibus peculiare Missionarios destinare. Verum hic etiam plus quam iubet Summus Pontifex quodque summe expectat faciemus. In eodem templo coniungentur cum Christianis nobilioribus, eodem, quo supra diximus, modo iussum et factum¹ a Cardinale ipso Turnonio. Sacramenta autem iisdem graviter aegrotantibus Pareis administrantur a Christianorum Missionariis in Pareorum domibus quando necessitas id exigit, fietque secreto, si potest, et publice, si non potest. Speramusque tum ex divina bonitate tum ex eo quod tam despecti non sint in dicta regione Parei, quam in aliis regionibus, nullam inde eventuram persecutionem. Verum fateri necesse est, non parum et a nobis et a religione alienos fieri Gentiles ubique, dum mores et leges regionis a nobis tam parvi fieri intelligunt. Hinc etiam intelliget Paternitas Vestra, quam difficile sit Romae statuere leges universas pro totis Indiis, cum regio sit vasta moresque diversi et diversae linguae.

4° De usu salivae in Baptismo: fere omnibus administratur istud sacramentale, et post breve tempus omnibus administrabitur. Claram petiere responsionem Episcopi, advenit, sufficit. Si inde probra in religionem recidant, indeque Gentilibus ridicula et immunda videatur, ut quibusdam in locis fieri coepta est ista occasione, eademque occasione si catechumenorum numerus minuatur, iam ad nos non pertinet. Metus autem injectus Romae ne forte neophyti haberent salivam tanquam materiam ineptam Sacramentali baptismi, nullo modo nos afficit, scientes istorum hominum fidem et ingenium; talem cogitationem cuiquam illorum menti inhaerere ne levis quidem nobis suspicandi locus est.

Horrorem salivae ab illorum animis eripere in baptismi administratione, iniungitur: res est confecta iam diu, si, quando agitur in nova

¹ Leggi: iusso et facto?